



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

14. Septembris. Qui se errâsse comperit, non cadat animo: etiam errores  
prosunt ad sanitatem. S. Ignat. apud P. Lud. de Cam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



Nec te finè censura sine vivere; vide vitam haectenus actam, diem vide praeteritum, videbis, unde melior fias; si bene actus est? adde plura bona; si secus? futuris compensa.

14. Septembris.

*Qui se errasse comperit, non cadat animus: etiam errores prosunt ad sanitatem. S. Ignat. apud P. Lud. de Cam.*

**N**on unus Antæus post lapsum surrexit à terra fortior; sæpe accidit, ut ossa fracta, si rite coalescant, & solidentur, iis firmiora sint, quæ integra semper manserunt. Sic fit è veneno medicina.

Bonus & utilis Magister est, error: futurum dedocet. Semel qui nocuit, semper prodest, uno à multis malis præservat. Cautum reddit, ut semel in glacie lapsus firmiorem post hac pedem figat.

Si nunquam errassemus, nesciremus, quid simus? quid possimus? Error fragilitatis est speculum; facit, ut, qui profundiùs ruituri fueramus, post hac simus oculati. Melior est humilis poenitens, quam superbus innocens.

Conscientia delicti justificationem poenit



perit publicano, parit omnibus humilitatem, parit ad Deum refugium, facit, ut superabundet gratia, ubi abundavit delictum.

15. Septembris.

*Nec corporis, nec passionum mortificatio differenda est in senium, quod est incertum est, & severitatem non patitur. S. Ignat. apud Nolarci.*

**Q**uod juvenis negligit, desperet senex; nec artem, nec virtutem capularis imbibet, quam vix tenui labro impubes mutavit. Lassæ vires, fracta valetudo, corpus exhaustum, nec robur labori, nec spiritus diligentia, suppeditabunt.

Si sponte suâ subsidit incendium, serotina est aquarum affusio: primæ flammæ occurrendum erat. Quod in hyeme, seu corporis, seu ætatis, non caleas, laus tua non est, sed naturæ. Amurca flammam non alit, nisi pertenuem, & obscuram.

Ubi te deseruerint vitia, ubi morbis confectum corpus petulantiam posuerit, minùs est, quod castiges. Nolle peccare, cum non ampliùs possis, & velle bona præ-